



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia Catholica, Hoc Est Christianae Fidei, Qvam Ad
Salvtem Animarvm Aviti Avgvstae Domvs Saxonicae
Principes, Reges, & Imperatores coluerunt, Gloriosa
Confessio**

Cutsemius, Petrus

Coloniae Agrippinae, 1621

De Theophania Conivge Ottonis II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11884

VII. eodem anno comprobavit. Romæ autem paulò post Otto ægrotans, quid egerit, & qualiter se gesserit, dicat nobis idem Dithmarus, qui tunc vixit, quique quæ vidit, & audiuit, fideliter annotavit, ibidem. Imperator cum Romam veniret, relicta matre sua Venerabili in Papia ciuitate grauer infirmatus est, & vt extrema presensit adesse, omnem suimet pecuniam partes diuidit in quatuor, vnã Ecclesiis, secundam pauperibus, tertiam dilectæ suimet sorori Mathide, quæ Abbatiam in Quedilingeburg deuota Christo famula obtinuit, quartam suis tristibus donauit ministris, & militibus: Facta q̄ latialiter Cōfessione coram Apostolico, ceterisq̄ Coepiscopis, atq̄ Presbyteris, accepta ab eis optata remissione septimo Idus Decemb. ex hac luce subtractus est terra q̄ commendatus ad introitum Orientalis Paradisi domus S. Petri cunctis patet fidelibus, & imago Dominica honorabiliter formata venientes quosq̄ stans benedicit.

DE THEOPHANIA CONIVGE
OTTONIS II.

IMPERATRIX quoq; Theophane, Ottonis vidua, non fuit negligens in exsoluendo pietatis officio pro defuncto suo marito, de qua hæc vetus refert author, qui vitã scripsit S. Adelberti Episcopi Pragensis apud Sur. d. 23. April. tom. 2. *Græca Imperatrix Augusta. quæ*

iam longos dies fleuit, sepulti coniugis memoriam reparat, dulcem Ottonem eleemosynis, & orationibus celo commendat. Quæ etiam vbi cognoscit S. Adelbertum, à Bohemis impijs in exilium pulsum, Romæ præsentem adesse, supplicat illi, & larga dat munera, vt orare dignetur pro defuncto coniuge quod infra ibidè his extat verbis: Sed peccatum quod viuens Otto neglexit, mortuo marito emendare vxor superstes instabat. Legatos mittit & eleemosynas, orationes multorū querens, per quos propitium Redemptorem appelleret, & peccatorem Regem ab incendio liberaret. Hæc tum vbi sanctum virum adesse cognouit Adelbertum, nominatissimum Episcopum, & Hierosolymam properare audiuit. clam ad se vocat, oransq; vt pro anima Senioris rogaret, massam argenteam obtulit ingentem Vbi accepit vir Dei onus argenti suo itineri, aut necessitati parum prouidens omnia, sequenti nocte pauperibus expendit. Obijt illa Anno. 991. Nouiomagi, sepulta Colonia in æde S. Pantaleonis.

DE OTTONE III. IMPERATORE.

VENIO nunc ad Ottonem III. Ottonis II. ex Theophania, Nicephori Imperatoris Constantinopolitani priuigna, filium, de quo, opera & studio patris, consensu verò, & approbatione Papæ Benedicti VII. Ve-

E 2 ronæ